

lorum & animarum rationalium : nam intelligitur tunc immutabilitas secundum quid talis, quâ Spiritui omnino repugnat mutari physicè, id est, habere intrinsecum mutationis principium, ut corpora non posse generare, nec generari, nec corrumpi, nec augeri, nec diminui. Nobis verò intelligitur immutabilitas simpliciter talis, in quantum aliquid nullò modò mutari, neque essentialiter neque accidentaliter potest, neque intrinsecè neque extrinsecè.

## XI.

Ultimum quod concernit, Immutabilitatem esse attributum Dei immanens; id elicitor inde, quia intra essentiam Dei terminatur, ejusq; rationem dicit, neque fertur in se ad extra. Quid verò attributum sit in Deo, alibi plenius exponitur. Nos illud tantùm dicimus, Immutabilitatem Deo competere nobis etiam non cogitantibus, sed quod à reliquis distingvatur attributis, id provenire à nostro conceptu. Adeoque actus competentia est verus & realis, sed actus distinctionis est humanae rationis, verùm in re fundata. Non esse præterea tanquam accidens in Deo Immutabilitatem, evincit ipsa vox, quicquid accidentia habet, est compositum, est dependens, est mutabile.

